

I. CONFIRMATIO IURIUM REGNI GENERALIS [13 XI 1548]

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rej memoriam. Quoniam labilis est et fragilis humana memoria, quo firmitus et diutius ea quae gesta sunt retineri et ad longam etiam posteritatem transmitti possint, quasi remedium oblivionis litterae sunt inventae, ut iis insignarentur, quorum diutiurnam, nec facile unquam intermorituram esse vellent memoriam. Quamobrem nos Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, nec non terrarum Cracoviae, Sendomiriae, Syradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Culmensis, Elbigensis, Pomeraniae, Russiae, totius Prussiae, Mazoviae, Samogitiae etc. dominus et heres, significamus praesentibus litteris quibus interest universis, qui nunc sunt et qui postea futuri sunt. Quod annus iam igitur decimus nonus, cum unanimi consensu et voluntate omnium rex Poloniae designati et delecti sumus, corona etiam capiti nostro imposita. Quo quidem tempore omnes regni nostri senatores et consiliiarii ac ordines reliqui, debitae fidei subiectionis et oboedientiae iusiurandum nobis praestiterunt. Ita tamen ut non prius auctoritatem nostram regiam agnoscere tenerentur, quam divus parens noster ex hac vita excessisset, penes quem solum regia potestas omnis et auctoritas, quoad vita suppeditaret, esse debebat, ita ut re ipsa etiam fuit. Quoniam vero non ea tum fuit aetas nostra, ut ipsi vicissim iusiurandum a regibus dari solitum praestare possemus, serenissimi parentes nostri fidem suam pro nobis obstrinxerunt, litteris etiam suis in eam rem datis¹; quod simul, ut ad legitimam aetatem pervenissemus, iusiurandum a Regibus Poloniae recepto et usitato more dari solitum et ipsi daturi essemus. Quam nos fidem serenissimorum parentum nostrorum, pro nobis interpositam, septimo post coronationem nostram anno liberavimus, ac solenne iusiurandum dedimus, cum de aliis rebus ad officium nostrum regium pertinentibus, tum etiam de iuribus, privilegiis, libertatibus et litteris immunitatis quibuscunque concessis per nos confirmandis. Quin etiam quo diligentius cautum esset iis quorum summa voluntate regium diadema capiti nostro fuit impositum, litteras nostras ad singulos regni nostri palatinatus dedimus, quibus inter alia nos obligavimus, quasvis libertates, litteras et immunitates, iura et privilegia, iusta et legitima regni nostri ecclesiastica et saecularia quibusvis ordinibus et hominibus nemine excepto a maioribus nostris Poloniae regibus, maxime vero divo Cazimiro antiquo, Ludovico, Vladislao proavo, Vladislao magno patruo, Cazimiro avo, Ioanne Alberto et Alexandro patris et divo Sigismundo primo parente nostro donata, omnino rata nos habituros, omniaque inique ab eodem regno alienata atque distracta, pro viribus nostris recuperaturos et ad unionem regni aggregaturos nec imminuturos fines eiusdem Regni Poloniae, sed aucturos et propagaturos pro virili nostra. Posteaquam vero divus parens noster ex hac vita excessit, regni gubernaculis nobis delatis, nos memores iurisiurandi per nos anno ab hinc duodecimo praestiti, simul etiam fidei per litteras nostras datae, cum aliis de causis, tum ob hanc praecipue, comitia regni nostri aediximus, ut quod verbo subditis nostris promissimus, re ipsa praestaremus. Quamobrem omnia iura et privilegia libertatesque et immunitates ecclesiasticas et saeculares, tam publicas regni et dominiorum nostrorum, quam ecclesiarum, civitatum, oppidorum, villarum ac aliorum quorumcunque locorum, atque etiam collegiorum et communitatum ac personarum privatarum quarumcunque, status ordinis cuiuscunque, nullis omnino exceptis, a maioribus nostris supramemoratis, Cazimiro scilicet Magno, Ludovico, Vladislao proavo, Vladislao magno patruo, Cazimiro avo, Ioanne Alberto et Alexandro patris, et divo Sigismundo primo parente nostro et aliis quibuscunque regibus et reginis, monarchis, principibus et ducibus Regni Poloniae dominiorumque illi incorporatorum et subiectorum, sive publice sive privatim concessas, tam in genere quam in specie, ita tamen, quod neque generalitas specialitati, neque specialitas generalitati derogat, approbamus, ratificamus et confirmamus, roburque debitae firmitatis habere decernimus. Praesertim vero quae in divis parentis nostri litteris confirmationis expressa sunt. Quarum tenorem hic pro expressis habere volumus non aliter, quam si de verbo ad verbum inserta hic essent. Qua quidem omnia tam in genere quam in specie sancte et inviolabiliter observaturos et in executionem, sicut litteris nostris nos obligavimus, posituros nos esse spondemus, ac verbo nostro

¹ Por. wyżej, nr XLVI, II — sejm walny krakowski 1536/1537 r.: Akty potwierdzające złożenie przysięgi koronacyjnej przez Zygmunta Augusta.

regio promittimus et vigore iuramenti praestiti nos obligamus, ipsum iuramentum in omnibus eius articulis et clausulis integrum conservando, decernentes auctoritate conventus praesentis, si quid aliquando regnantibus nobis, contra ea ipsa iura, privilegia, libertates et immunitates tam publicas quam privatas factum fuerit, quod illud nullam vim habere, sed irritum et inane, nulliusque roboris esse debet. In cuius rei fidem et testimonium, manu nostra subscripsimus et sigillum appendi iussimus. Datum Piotrcoviae in conventu generali regni 13 Novembris anno Domini 1548 [13 XI 1548], regni nostri 19.

II. [WYKAZ DOSTOJNIKÓW OBECNYCH NA SEJMIE]

Datum Piotrkouiae in conventione generali feria quarta ante festum Conceptionis Virginis Mariae anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo [5 XII 1548], regni vero nostri decimo nono. Praesentibus reverendissimo et reverendis in Christo patribus dominis Nicolao Dzierzgowsky archiepiscopo Gneznsi, legato nato et regni nostri primate, Samuele Macziewsky Cracoviensi et regni cancellario, Andrea Zebrzydowsky Wladislaiensi, Andrea Noskowsky Plocensi, Ioanne Dziadusky Premisliensi, Ioanne Droiwsky Chelmensi episcopis, necnon magnificis, generosis et venerabilibus Ioanne comite in Tarnow castellano Cracoviensi, exercituum regni nostri supremo ac Sandomiriensi, Striensi, Liubaczouiensique capitaneo, Petro Kmita comite in Wisznycze Cracoviensi, regni nostri supremo marsalco ac Cracoviensi, Premisliensi, Scepusiensi, Colensique capitaneo, Ianussio Liatalsky de Labischin Poznaniensi et Iuniwladislaiensi, Sluchouiensique capitaneo, Ioanne comite de Thanczin Sandomiriensi, curiae nostrae marsalco ac Lublinensi, Lelouiensique capitaneo, Petro de Slussewo Calissiensis et Nieszouiensis capitaneo, Stanislawo de Lasko Siradiensi et Lanciensi capitaneo, Nicolao Iarund de Brudzewo Lanciensi, Raphaele Liesczinsky Brzestensi et capitaneo Radzieiouiensi, Petro de Dambrouczya Russiae et Radomiensi Cazimiriensique capitaneo, Ioanne de Mielecz Podoliae et Chmielnicensi capitaneo, Andrea comite de Thanczin Lublinensi et Sniatinensi, Rohatinensique capitaneo, Ioanne Dzierzgowsky Mazouiae et Varschouiensi, Nurensique capitaneo, palatinis. Andrea comite a Gorca Posnaniensi et Maioris Poloniae capitaneo generali, Martino Zborowsky Calissiensis et Odolanouiensis, Stobnicensi, Szydlouiensique capitaneo, Spitecone de Tharnow Voiniciensi, regni nostri thesaurario ac Brzeznicensi, Krzepicensi, Krzeschouiensique capitaneo, Stanislawo de Przeramb Syradiensi, Erasmo de Kretkow Brzestensi et capitaneo Pisdrensi, Ioanne Ocziensky Biecensi, Serenissimae Dominae parentis nostrae curiae magistro et Sandecensi, Stanislawo de Tharnow Zawichostensi et capitaneo Syradiensi, Georgio Liatalsky Landensi, Bernardo Macziewsky Radomiensi, Stanislawo Gomolinski Rosperiensi et capitaneo Vielunensi, Nicolao Grabia Chelmensi, regni nostri vicecancellario et capitaneo Lubomliensi, Ioanne Bonar Oswięczimensi, Ioanne Sieniensky Haliciensi, Stanislawo Lobodzky Spiczimiriensi, Iacobo Liasoczky Inowlodzensi, Adamo Wilkanowsky Vischegradensi castellanis, ac omnium terrarum regni nostri nuntiis, Iacobo Vchansky decano Plocensi, archidiacono Varschouiensi, Valentino Dembiensky refferendariis curiae nostrae, Andrea Czarnkowski praeposito Gnesnensi et scholastico, Ioanne Przerempsky praeposito, Philippo Padniewsky cantore, Stanislawo Volsky custode, Stanislawo Hosio iuris utriusque doctore, Mathia Lanczky canonicis Cracoviensibus, secretariis nostris, Ioanne Liutomiersky curiae nostrae thesaurario, Stanislawo Ligeza curiae nostrae incisore et capitaneo Miedzyrzecensi, et aliis quamplurimis dignitariis, officialibus et aulicis nostris ad praemissa testibus existentibus. Datum per manus praefati reverendi in Christo patris domini Samuelis Macziewsky episcopi Cracoviensis et regni nostri cancellarii, sincere nobis dilecti. Relatio eiusdem ut supra.